



potuit. Peracto prandio cum galeotis ad littus descendi pro deductione diei, habebamus enim in facie montem petrosum, non multum altum, et videre desideravi, quid tamen in alia parte montis esset. Ascendi ergo per rupes sursum et alia parte vidi maris brachium inter montem, in quo eram, et oppositam terram ultra brachium, in ea autem parte vidi Sibenicum, civitatem Dalmatiae pulchram, in qua conventum habent fratres Praedicatorum. Mons autem, in quo stabam, ab ea parte, quam Sibenicum respicit, erat totus fertilis, vineis plenus et hortis, in quibus stabant domus muratae, quasi castella et capellae, et suspicabar esse in eis hominum habitationem; descendi ergo per hortos illos, et ad unam domum accessi, sed neminem ibi reperi, in ea vidi tamen ibi habitasse homines. Ad aliam accessi et omnibus officinis lustratis vacuam reperi, sic etiam de aliis domibus erat; nam nobiles et divites de Sibenico aestivo tempore cum familia transmigrant in insillam illam, et propter recentiam aëris et loci amoenitatem in eis domibus habitant usque post fructuum collectionem. Ulterius descendi quasi usque ad mare et unam capellam, quam ibi vidi, et juxta capellam erat aqua dulcis fluens, juxta quam sedebant mulieres peregrinae de classe nostra, quae Metonae classem nostram intraverant, et multi galeotae ibi aquam accipiebant et in naves portabant. Ingressus autem capellam reperi altaria profanata, nuda et quasi destructa, et una campana pendeat in campanili sine fune; a longe supra illam capellam vidi aliam majorem et ornatam et juxta eam habitationem. Ascendi ergo per littus maris ad eam et ingressus altaria festive decorata inveni et lampades ardentes et eucharistiam parieti sinistro inclusam. Gavisus autem procidi, uti dignum erat, et finita oratione domum annexam ecclesiae pulsavi; exivit autem ad me unus frater tertii ordinis et regulae tertiae sancti Francisci, et verbis Sclavonicis me recepit et introduxit, videns autem, quod eum non intelligerem, vocavit ad me sacerdotem eorum, qui verbis tantum italicis mihi loquebatur, nec latinum scivit et teutonicum ignoravit. Dixi autem ei, quomodo in multis diebus non audissem nec legissem Missam, et si contingeret, in crastinum non recedere classem, mane revertere cum sociis vellem et divina celebrare, si placeret. Sacerdos hoc audito annuit, dixit tamen, se latina missalia non habere, et audito, quod unum haberemus in navi nostra, invitavit

377

375

381

371

386

366

426

326

476

276

Ende

Anfang